

Major verò est ille edendi responsa, quæ non ad veritatem, sed ad requirentis opportunitatem conductio more datur. Id enim perniciosum, atque Reipublica; ac iustitiæ, & veritati nimium præjudiciale censendum est.

Eadem quoque ratio me impulit deviare à magis communi modernorum collectorio stylo, circa 7 inutiles, ac superfluos allegationum cumulos, super iis, quæ amplius in quaestione non sint, sed præsupponi possint, vel debeant, ut potè jam recepta, & per oppositores non negata. Cum etenim ex præmissis, tota vis in applicatione consistat, & an illud juris principium, quod generaliter, ac in abstracto verum, & in controversum sit, congruat necne casui quaestionis, idcirco in hoc insistendum venit, ut alij edoceantur, non autem in superfluis, vel notoriis evagationibus, ut in *stili Legalis* opusculo magis ex proposito adfertur.

Cùmque hunc abulum ut potè reprehensione, ac reformatione dignum semper damnare, ac redarguere sim professus, cùm revera omni ratione sit destitutus. Hinc meritò debui illum respicere, ne alijs facta essent contraria verba, & monitis adeo peniteat quidem in aliquibus partibus id egisse, quando non coegerit necessitas, ad cuius limites id agendum est, dum ea urgente, stylus remanet commendatione dignus, super iis scilicet punctis, vel articulis, qui adhuc dubii, ac indecisi remaneant, ideoque ad eos quaestio restringatur, atque necessitas, vel opportunitas cogat. Natura enim abhorret superflua, quibus excrementorum nomen tribuit. Ideoque in huiusmodi superfluitatibus

immorari idem est, ac responsa, vel discursus excrementis replere.

Demum verò quoad tertium, id studiosè factum est vitandi gratia majorem errorem in modernis Collectoribus frequentem, ut eadem conclusiones ex integro centies per eadem verba, & cum eisdem allegationibus transcriptio stylo repetantur, adeo ut multis voluminibus unam relectatis superfluis repetitionibus confici posset, quo nil inceptius. Atque si aliàs allegando auctoritates, cogendus esset lector incredulos illos invenire, ac aperire libros, non videtur cur id, quod facilius est, in eodem opere fieri non valeat.

Alii verò errores humanæ condonandi sunt imbecillitati, cùm non possit unus facere omnia. Ipse etenim Deus fecit nos, & non ipsi nos; ipseque in Evangelica parabola non uniformem, sed difformem talentorum distributionem fersit fecit, dum uni commisit quinque, alteri duo, alteri verò unum. Equè tamen laudatur ille servus, qui operatus est minora, & qui majora. Sufficit namque illam benè gerere personam in scena, quam eisdem scenæ Magister distribuerit. Curavi itaque operari illud unum exiguum talentum, quod Domino mihi distribuere placuit. Illi verò, qui duo, vel quinque, aliave majora sibi distributa esse credant, ea juxta Dominicum præceptum ad proportionem operentur, atque ita alienos defectus supplendo, majora faciant, ac meliora.

A. lib. 15. in rel. Cur. disc. 32. & 46. & disc. 35. de iudic. & in opusculo styli legalis.

B. in eisdem mox citatis locis.



# JO. BAPTISTÆ CARD. DE LUCA Liber Primus. DE FEUDIS, ET BULLA BARONUM.

SENOGALLIEN. CASTRORUM  
PRO CAMERA APOSTOLICA,  
CUM MARCHIONE DE RUVERE.

Causa decisa per Tribunal Camera contra  
Marchionem.

De facultate subinfeudandi competente de jure, vel ex lege investituræ: & an expressa facultas aliqui plus operetur? Quando devoluto feudo devolvatur subfeudum? Et quando subinfeudatio dicatur facta in fraudem, & quæ requirantur ad subinfeudationis validitatem? Et aliqua de Bulla Pii V. de non subinfeudando.

### S U M M A R I U M.

1. Feudi series.
2. Feudatarius potest subinfeudare, & hic actus non venit sub prohibita feudi alienatione.
3. Concurrentibus tamen tribus requisitis.
4. An devoluto feudo dures subfeudum concessum ex sola facultate revertente ad jure.
5. Quid ubi accedit facultas hominis in investitura, presertim ubi subinfeudatus est de sanguine, vel familia feudatarii.
6. Et ubi dicta hominis concessio concepta est cum clausula sine præjudicio.
7. Concessa licentia feudatario hypothecandi vel obligandi feudum cum clausula sine præjudicio, an hypotheca dures post devolutionem?
8. Clausula sine præjudicio præservat alia quàm expressa, & adjici solet ad conservandam feudi naturam.
9. De requisitis subinfeudationis, ut fiat persona parvis conditionis, quomodo intelligatur.
10. An facultati subinfeudandi obstat hodie Bulla Pii V. de non subinfeudandi.
11. Devoluto feudo subinfeudatus durare dicitur ex nova domini permissione, & voluntate.
12. Prohibita investitione expressa, dicitur etiam prohibita tacita, & ficta.
13. Subinfeudatio an importet feudi scissuram, & divisionem in proprietate, vel potius sit species fructus feudi.
14. Consuetudinum auctoritas periculosa.
15. Subinfeudatio fieri non potest per feudatarium successore desperatum, & devolutione imminente.
16. An Constitutiones Extravagantes feudorum habeant vim legis.
17. Leges revocate, antiquæ vel non authentice attendende tamquam auctoritates Doctorales.
18. Fraus ex successoris caventis revertentis, an sit præsumpta Card. de Luca, Lib. I.

- presumptione juris tantum contrariis presumptionibus elidibilis.
19. Enumerantur plures casus, vel effectus, ad quos dicta fraus consideratur.
  20. De differentia inter fraudem confisi, & mali animi cum fraude præjudicii, & re ipsa, & quando hoc sine illa sufficit.
  21. An prohibitio subinfeudandi in statu desperati successoris cesset, ubi accedit expressa domini facultas.
  22. Quælibet concessio legis vel hominis intelligenda est juxta juris dispositionem, dummodo absit fraus, & rebus in eodem statu permanentibus.
  23. Assensus concessus super alienatione feudi, quando feudatarius habebat successorem, an pro sit ubi successor defecit.
  24. Facultas subinfeudandi de jure competens cessat accedente prohibitione alienationis, vel divisionis.
  25. In utriusque Siciliae Regno prohibita est subinfeudatio.

### D I S C I

Postquam, partim ex Montefeltoriano successione, partim verò ex variis Sixti IV. Alexandri VI. Julii II. Adriani VI. Clementis VII. & Pauli III. concessionibus, diversas formulas habentibus devenerunt in Guidobaldum de Ruveris Ducatus Urbini, Principatus Pisauri, Eugubii, Calli, & Senogallie, Vicariatus Montis Avii, Sancti Laurentii, & Montis Follis, aliæque oppida, castra, & loca, idem Paulus III. de anno 1548. Civitates, oppida, castra, & loca prædicta simul uniendo, in eis Ducatum Urbini creavit, de quo dictum Guidobaldum ipsique filios & descendentes masculos legitimos, & naturales in perpetuum, cum ordine primogeniaturæ investivit, ita tamen, quod Ducatus ita erectus, nullo unquam tempore dividi, aut alienari posset, verum liceat Duci pro tempore existentis (sunt verba præcisa) aliquid ex castris, oppidis, terris, & locis, non tamen Civitatibus, & Fortalitiis in personam non potentioris alicujus Sedis Apostolicæ, & Romanæ Ecclesie præjudicio investire, ita quod in casu cuiuslibet devolutionis ad ipsam Ducem investiantem, & non ad Sedem fiat, & fieri debeat.

Ex prædicti Guidobaldi linea, fuit ultimus superstes, nunquam satis laudatus Dux Franciscus Maria, qui in decrepita etate de filiis masculis se desperatum agnoscens, de anno 1623. per eius literas Urbano VIII. directas, declaravit omnia feuda, & bona jurisdictionalia, per ejus mortem ad Sedem Apostolicam reverti debere, neque posse, vel debere aliquo modo de eis disponere, & de anno 1624. inter eundem, & Cameram Apostolicam devolutum est ad concordiam, per quam idem, quod in dictis literis continetur, approbatum fuit, declarando post varias conventiones, & declarationes circa bona alodialia, feudalia fructus, & melioramenta (sunt itera verba præcisa) sub-



4. Subinfeudationis facta remanere debere in dispositione juris, & inoffensivum.

His peractis, anno 1666. idem Dux Franciscus Maria, cupiens quod in dicto Statu ea regione, aliqua sua familia de Ruvere memoria permaneret, utendo facultate in dicta Pauli III. investitura contenta, Julium de Ruvere, quod filios, descendentes masculos, legitimos, & naturales in perpetuum cum ordine primogenitura subinfeudavit de castro Tumba, & Cuparum & Montis radi, ad Vicariam Montis Avii spectantibus, dictisque Julius investituram acceptando, fidelitatis juramentum prestavit.

Sequitur autem predicti Ducis obitu de anno 1631. Camera predicti Status possessionem adeptam fuit, inclusis etiam dictis castris, quae possedit usque ad annum 1655. quando per Joannem Baptistam de Ruvere praefati Julii filium introducta fuit in Tribunali ejusdem Camerae, seu vetus exhereditaria ejus patris pretentio super dictorum castrorum possessione, unde dato dubio, an subinfeudatio predicta sustineatur, & aures, post binam, vel trinam propositionem prodiit resolutio Camerae favorabilis.

In dictis habens disputationibus pro parte actoris dicebatur, se habere fundatam intentionem in valida subinfeudatione, cum de jure feudorum expresse statutum sit, posse feudatarium concedere alias res in subfeudum, cap. 1. §. sed etiam res, per quas fiat investitura, cap. 1. §. Si vero qualiter olim perat ad feudum, cap. 1. §. Si qualiter, si de feud. defuncti. Et quavis fuerit aliquando dubitatum, an ista jura (praesertim primo loco allegatum, quod est magis expresse) fuerint antiquata per text. in cap. Imperiale, de prohib. feud. alienari, per Friedr. hanc tamen opinionem paucos habens sequaces relatos per Altograd. in ista causa pro eodem actore scribentem, conf. 5. volum. 2. numero. 6. est magis communiter rejecta; ut ex Bald. Iernia, Alvaroto, Afflicto, & aliis plene ostendunt Schrader, pars. 2. cap. 2. numero. 10. Rosental. cap. 9. memb. 1. conclus. 43. numero. 1. & in gloss. l. r. Altograd. dict. conf. 5. numero. 2. ex Rosental. Bammacar. & aliis, probat id procedere, etiam in feudis ab Ecclesia, & Papa concessis, quod etiam dicit Rot. apud Royos decif. 143. numero. 1. & 2. Et de jure communis feudorum receptum restat Giurb. de success. feud. §. 1. glof. 5. numero. 30. & 37.

Tria verò requisita ad subinfeudationis validitatem copulative necessaria, primo fidelitas, ut fiat sincere, & sine fraude, secundo, ut subinfeudator personae similibus conditionis, & tertio, ut sit cum eisdem legibus, & pactis, in praesenti casu concurrere conabantur probare Altograd. dict. conf. 5. numero. 22. & sequent. alique pro dicto actore scribentes.

Postea verò legitima subinfeudatione, inferebant idem scribentes, ad ejus durationem, etiam post feudi devolutionem, quia licet Hartman. Pistor. quest. 44. numero. 8. & seqq. dicit ex regulis text. in l. lex veligali. 31. ff. de pignor. & hypothec. ut resolutio jure daturis, resolutio jure acceptoris, constanter tenet subinfeudati jus non durare ultra illud subinfeudantis, quam regulam probant etiam leges feudales in c. 1. §. usus quibus mod. feud. amitt. l. 1. cap. 1. §. fin. de alienat. feud. & cap. 1. §. si quis apud quem, vel quos, dicitur quae optionem teneant Afflicto in dict. cap. 1. §. si vero, nam 7. 8. quod aliter olim feud. pro alien. ubi dicitur in text. qui contraarium probat, esse antiquatum, Camerar. in l. Imperiale, cap. 7. in magnis literis G. & l. in par. car. 95. & alii in gloss. ad Rosental.

Contraria tamen apud Feudistas est magis recepta, ut scilicet subinfeudatarius se offerentem servire, dominus recipere teneatur per text. in dict. §. si vero, quem negatur esse antiquatum, ut plene probant Rosental. cap. 9. conclus. 49. numero. 6. per Rot. Altograd. de consil. 5. m. 3. qui cumulat multos, quibus addi possunt Apont de consil. 3. m. 3. n. 8. & sequentibus, Montan. in l. Imperiale, §. si miser, n. 56. Maref. cot. lib. 1. car. cap. 95. n. 27. & 18. de Marin. in addit. ad decif. Reverter. 522. num. 2.

Et si quae difficultas adesse possit, quoties agitur de facultate esse sola juris dispositione resultantem, eam tamen omnino cessare dicunt, ubi licentia legis, accedit illa homini, quae latiore effectum habere debet, quia lex permittit de alieno, homo verò permittit de suo, & aliam, quia lex unum facit, nempe permittere, homo verò facit duo, nempe permittere, & approbare pro successoribus, Camerar. in dict. l. Imperiale, d. car. 7. in magnis, l. r. & U. alii car. 40. ad fin. in par. Apont de consil. Proreg. d. 11. 3. §. 3. n. 19. Montan. dict. §. si miser n. 66. Lanar. in repet. §. si quis per virginem, nu. 66. &

67. Si de feudo defuncti militis, & ceteri per Altograd. dict. conf. 5. n. 4.

Accedente praesertim observantia individua in eodem feudo, quia plures ejus subfeudatarii continuaverunt, & continuant in subfeudum possessionem post devolutionem, quod etiam prius sub Clement. VIII. praesertim fuit in Ducatu Ferrariensi; ideoque dicebant, deterioris conditionis esse non debere illum, qui est de familia adeo benemerita feudatarii, in quo proinde facilis, & rationabilis intrat aequitas, seu ratio text. in l. 2. §. permittitur, ff. de aqua quod d. & strava; ex qua plerique fundant subfeudatarii continuationem de jure debitam esse, praesertim Bald. in cap. ceterum, num. 13. in fin. extr. de iudicis, Alvaroto in cap. 1. §. si vero, numero. 4. qualiter olim feud. poter. alien. Et est etiam sensus Ierniae in c. 1. quib. mod. feud. amitt. l. 1. nu. 25. in fin. & melius, n. 29.

Converso Cameralis non negabat dictarum conclusionum veritatem in abstracto, quia concurrentibus tribus requisitis, de quibus supra, verius est, subinfeudandi facultatem de jure competere, & multo magis accedere expressa facultate per investituram concessam. Aliquit tamen firmiter insisterent super Clausula ( sine praedictis ) praedictae facultati adjecta, quae Papa pro concedendis tenens fuerit, reddere quidem actum subinfeudationis licitum, & impunitum, non tamen durabilem post finem feudum, quia negari non potest, ex hujusmodi prorogatione resultare dominum praedictum, ut late deducit Pistor. dict. glof. 44. numero. 10. & sequent. quod praedictum Papa se servare voluit, Rot. decif. 300. numero. 8. & 9. par. 11. reced. praesertim, quia non videtur alius subesse casus, in quo remanet operativa dicta clausula alias inanis, & facta, cum in eadem investitura dispositio, subinfeudationem fieri non posse de Civitatibus, & fortalibus, sive in potentiorum personam, in quibus circumstantiis considerari possent majora domini praedicti.

Unde dicebant idem Camerales, quod istant bene simul 7. tribui licentiam faciendi actum, pro nullitate, & penis evitandis, & tamen jus domini licentiam tribuens remanere praesertim in casu devolutionis per dictam clausulam, ut in terminis licentiae hypothecariae, vel obligationis, ut quoties adiectum habet dictam clausulam, ita intelligi debeat, ut in casu devolutionis, hypotheca non duret, fed evanescat, Afflicto, in cap. 1. §. quid ergo, de hypothe. de re alien. & ceteri apud Rosental. cap. 9. concl. 18. numero. 4. & per Barattini. 171. d. n. 15. Surd. de dec. 836. per tot. ubi add. ad decif. 166. numero. 5. Cylicae quest. 446. nu. 3. & seq.

Verum istud motivum ita sumptum, nihil, & aliquibus ex aliis assumptis ad felidendum pro Camera, prout etiam in discussione casus iudicibus minus autem videbatur, quia hujus clausulae virtus, & natura est operari in aliis quam in expressis, de Pone. conf. 15. numero. 7. & conf. 55. numero. 56. lib. 1. Marc. claus. l. 1. §. 1. numero. 3. & 9. par. 1. Rot. decif. 549. numero. 10. par. 5. r. m. 2. & decif. 222. numero. 2. 6. 27. par. 7. rec. cum verè dicta clausula ponitur ad solvendum ad eludendam alodialitatem, Rosental. cap. 10. concl. 48. sub numero. 31. salvandamque feudum, nam ut non accipiat aliterationem, Maria claus. 67. numero. 3. par. 2. accedente aliis in respectu hujus clausulae deducit per Altograd. dict. conf. 5. numero. 31. & sequent. Et quod dicta clausula non periret, quin subinfeudatio facta de licentia Domini dicitur post extindam lineam subinfeudantis, firmat Schrader. pars. 2. cap. 3. §. 2. & hae sentent.

Ponderabant idem Camerales cessare secundum requisitum, ut subinfeudatio fieret personae similibus conditionis, oblongè disparatim conditionem perionum subinfeudantis, & subinfeudati, cum unus esset Princeps, alter verò privatus, sed pariter hoc motivum non placuit, tamquam laborans aequivoco clari, disparis enim conditionis obiectum procedit in omnimoda totius feudi subinfeudatione, per quam feudatarius alterum loco feudi, & in his terminis verè loquuntur Schrader. cap. 3. §. 2. in fin. alique in hoc requisito insistentes, quia militaris praedicti considerata per Clar. §. feudum, g. 32. n. 5. & alios, non autem in illa minoribus subfeudis, quae de modica parte tendit, sed de ipsius eadem tentis sunt, quia haec non congruat aequalibus, sed inferioribus, & subvassallis fieri solent, Rosental. cap. 9. conclus. 44. numero. 5. relati ab Altograd. dict. conf. 5. numero. 4. Rota dec. 143. numero. 8. coram Royas.

Praesertim cum agatur de feudo Dignitatis, & Superioris ordinis cum Jure Principatus, cuius maiestati congruit habere milites, & Vassallos, idcirco de natura peculiarari feudi inesse videtur facultas subinfeudandi, ac milites, & domicellos creandi, Giurb. de success. feud. §. 1. glof. 5. numero. 40. unde terminorum clarus error videbatur, regulare vel facultatem feudorum inferiorum sonantium in simplicem Baroniam, cum facultate feudorum, Dignitatis sonantium in Principatum, proindeque Doctores de prima specie loquentes non bene alteri applicantur.

Aliqui ex Camera defensoribus, admittentes conclusiones pro actore deductas tamquam magnas communes, & receptas, concurrentes etiam in supra dictorum motivorum per Cameralis deductorum rejectionem, credebant subinfeudationi oblati Constitutionem 35. Pii V. per quam omnes investiture sicut prohibentur; prohibita enim investiture, prohibita etiam dicitur subinfeudatio, Giurb. dict. §. 1. glof. 5. numero. 35. in fin. & 39. Ex qua ratione, & ex ampliori alienationis prohibitionem contenta in Constit. Regni incipientem, Constitutionem Divo memorata, prodiit in utriusque Siciliae Regni conclusio, feudatarius prohibita esse subinfeudationem, ut late probat Giurb. de success. feud. dict. §. 1. glof. 5. numero. 35. & 37. qui alios cumulat, & est conclusio receptissima.

Absonum enim videtur, ut quod non est licitum Domino, & Superiori, licitum esse debeat Vassallo, & Inferiori, praesertim ubi agitur de subinfeudatione facta à 40. annis citra, cum eadem Constitutio §. 2. in fine, expresse statuat, bona devolvenda, sequuta devolutione, iura Camerae, & Sedi Apostolicae incorporata censi, perinde, ac si per 40. annos esset iam per Cameraam possessa; unde si per dictum tempus hujusmodi Caltra singuntur Camerae incorporata, utemque obstat Bulla, quia est concedere jura per Dominum possessa.

Augebatur motivum ex regula text. in d. lex veligali, ut resolutio jure daturis, resolutum sit jure acceptoris, unde deducit per finem generationis totum liberum reverentium dicitur ad dominum, qui tamen ex equitate recipere tenetur subfeudatarius, qui est servus se offerat, ita ut singatur tamquam novus feudatarius, quia ex nova receptione, & tacta investitura admittitur, ut videtur esse sensus Bald. & aliorum, de quibus supra, & in specie Rosental. cap. 9. conclus. 49. numero. 9. in fin. ubi subinfeudati, vel maneat, vel ita ad dominum primum redant, ut feudum ab eo habere queat, & in gloss. l. r. B. refert verba Feder. Schenck, quae idem important.

Signatur est tacta, & facta investitura, quae nec fit de novo, utque venit sub prohibitione, quia prohibita investiture expressa, dicitur etiam prohibita tacta, vel facta, Camerar. in d. Imper. car. 8. in magnis, l. r. G. & l. 1. in par. car. 44. & sequuntur Communis calculo feudistae utriusque Siciliae, de quibus apud Giurb. ubi supra, & ex hoc resultat, materiam subinfeudationis parum apud illos Doctores tractatam esse, ac etiam, quia esset ita prorogare primas investiture ultra lineam in ea vocatam, quae esset prohibitum per eandem Pianam constitutionem, ita passim intelligendam, & receptam, juxta declarationem de ea factam ab Innocentio IX. de qua apud Faguan. incipit. ex parte, de feudum numero. 34.

Sed neque istud motivum arrisit iudicibus, quinimò neque pluribus ex ejusdem Camera defensoribus, cum regula generali, quod Plana Constitutio tamquam lex nova respiciat futura, non autem praeterita, ideoque non tollat facultatem, jam à Paulo III. concessam, tum quia cum agatur de nova lege exorbitanti, proindeque strictè intelligenda, capienda est in casu vero, ubi scilicet verè, & proprie feuda Camerae Apostolicae incorporata, ab illa difformantur, & aliis conceduntur, non autem ubi agitur de investiture facta, quominus hic etiam prohibito percuteret, sequeretur, quod neque licentias de vendendo, vel alias transferendo Feuda, & Caltra de uno in alterum, Papa concedere possent, cum in hujusmodi differentibus bonis alienari prohibitis, & in libero commercio non existentibus, translatio de uno in alium, sequi non dicitur ex facto transferenti, sed ex facto Principis, licentiam, & assensum concedentis, quem novus acquirens in directum auctorem agnoscere dicitur, quia singitur, feudatarius refutare feudum in manu Domini, & ab ipso per assensum novè investiture vim habentem denuò concedi, ut latius habetur in Mantuana feudi, hoc tit. & sapius in altero de Regalibus ad materiam officiorum, & locorum Montium. Verum hae responsio videbatur periculosa, & non nervans obiectum, cum ut supra, dicta constituciones, non solum contineant prohibitionem omnino novae investiture, sed etiam prorogationem investiture ultra

lineam vocatam, quae solum durante alienatione durant, nisi feudum esset aliis ex lege investitura alienabile, cum ea quae implicite continentur, non prohibeantur deduci ad actum explicitum, juxta decif. 1321. Seraphin. numer. final.

Mellior videbatur altera responsio, quod in his feudis majoribus, & dignitatibus, quibus congrua, & connaturalis est subinfeudatio de Caltris, Oppidis, & locis non conspicuis; ad hoc ut feudatarius ibi milites, & domicellos pro feudi dignitate constituat, verè hujusmodi subinfeudationes non duntaxat importare debet scilicet divisionem, vel alienationem, cum stante omnimoda subvassallorum subiectione, feudum retineat suam naturam, & integritatem; sed potius assimilandae sint concessionibus excadentiarum, de quibus Camerar. in dict. l. Imperiali car. 7. in magnis, l. r. & R. in par. car. 37. 39. Giurb. de success. feud. §. 1. glof. 5. numero. 49. & seqq. & ceteri praesertim Regnicolae; excadentiae autem inter fructus feudi eorumque perceptionem potius, quam fructus ejusdem alienationem, vel scilicet fructus computandae sunt, Rosental. cap. 9. conclus. 44. numero. 11. & conclus. 48. numero. 8. & adeoque tamquam fructus jam percepti tempore habili durare etiam de tempore inhabili, ad instar praesentati in vim juripratonatus annexi feudo, quia subsecuta devolutio non facit cessare jus praesentati, cum similibus, & sic difficultas intraret, quando ageretur de subinfeudatione ipsius feudi, ejusque univertitatis.

Satis etiam in hoc proposito considerata fuit observantia generalis serè totius illius Orbis partibus, ubi feudorum, ac subfeudorum materia est in usu, individualis vero ejusdem Sedis Apostolicae, tam occasione devolutionis Ducatus Ferrariensis, quam istius Urbinate, dum subfeudatarii, & Domicelli, quos Duces filii tempore habili constituerunt, recepto ab eis novo fidelitatis juramento, continuaverunt, & continuant; & merito, nam alias ex casu hujusmodi devolutionum, magna revolutioes, maximeque resultant in convenientia, atque efficit alias redarguere de delicto duos, & zelantissimos, ac doctos Pontifices, Clement. VIII. & Urban. VIII. subfeudatarios perseverantiam in dictis Ferrariensis, & Urbini Ducatibus expresse canonizantes.

Quare licet omnia supra dicta motiva per me alioque pro Camera scribentes acriter deducta fuerint, ( unde liquet quàm periculosa sit auctoritas scribentium in consiliis, & allegationibus, utpotè causae interventium ) praecipue tamen, ac solidius paratis, super quo ex mea, & aliorum sententia, dictum fuit esse principaliter infirmendum, & ad quem post primam causae propositionem restricta fuit disputatio, versabatur in deficientia primi requisiti, quod scilicet subinfeudatio fieret sine fraude, quae inesse dicitur, quoties actus explicatur per feudatarium casum naturam, vel in decrepitate aetatis, ac filius desperatus, imminente devolutionem biennio antea jam agnoverat, juxta auctoritatem gloss. Magistralis in cap. 1. §. Sed etiam res, per quas fiat investitura, quam communiter sequuntur Feudistas, praesertim Iernia ibidem, numero. 5. Bald. numero. 2. Alvaroto, numero. 7. Cappy. invest. feud. verbo feudum dant. conclus. 24. declarat. 5. ampl. 5. limit. 1. fol. 153. Pistor. dict. quest. 44. numero. 5. Rosental. cap. 9. conclus. 45. numero. 1. Apont de potest. Prorog. tit. 7. de assensibus reg. §. 3. numero. 3. Joan. Andreae de Georg. ad l. Imperialem, cap. 6. numero. 3. & ceteri communiter abque forsitan contradicente, & quam recepti agnatorum indubitata dicit de Marin. ad Reverter. dict. decif. 522. numero. 3.

Idemque ad litteram comprobatur text. in c. un. de alien. feud. in extra ordinariis, tit. 37. ubi. Et si in deservationis filiorum fuerit, nulla ratione, nec quilibet modo dare possit, quae omnia si facta fuerint, nullius momenti erunt, & de defuncto, omnia ad priorem dominum revertuntur.

Et licet fuerit satis dubitatum, an iste extravagantes sint apochryphae, legis auctoritatem non habentes, respondebatur tamen, magis communem Feudistarum esse, quod 16 sint authenticae, ut constat ex deductis hinc inde per Surd. conf. 502. numero. 18. Menoch. consil. 66. numero. 19. praesertim illae, quae sunt practicae, cum difficultas versetur in non practicas, ut per Jacobat. de Franch. in d. cap. 1. §. hoc autem, numero. 9. de his, quis feud. dar. poss. quodque saltem negari non possit, hunc textum satis attendendum esse, tamquam auctoritatem doctoralem, & magistratalem, inter praetiam dubiae questionis, Malcard. de Statu. conclus. 11. nu. 12.



6 & sequentibus, Salgad. in labyrint. creditor. part. 2. cap. 29. numer. 23. & 26. & 24. ubi, alii multo magis, dum non agitur de questione, sed de receptissima conclusione, quae cum dicto textu conformatur.

Non negabant scribentes pro actore dictam regulam vere incontrovertibilem, sed duas conabantur deducere limitationes, unam nempe, quod fraus per glossam isto casu ponderata, utpotè praesumptiva, ex sola praesumptione Juris resultans, contrariis sinceritatis, & bonae fidei probationibus, seu praesumptionibus elidibilis esset; alteram, ut conclusio procedat in subinfundandi facultate ex sola Juris dispositione competente, non autem ubi expressè per dominum concessa fuit.

18 Quod enim esset solum fraus praesumptiva, ponderabant dictum Bald. in dict. §. sed & res. sub n. 2. ibi: Et nota verbum glossae, quod ratione sinceritatis praesumitur animi fraus, & Iternia sub n. 5. ibi: Dicit glossa, quod praesumitur in fraudem factore, cum quibus plerique alii pertranseunt. Quoque contrarie probationes, vel fortiores praesumptiones, ex integritate facientis, alique circumstantiis resultantes, cessare faciunt hanc praesumptionem fraudem, allegantur Ardizon. de feud. part. 1. cap. 6. versum praesumitur, Frecc. de subfend. lib. 3. differ. 25. paulo ante finem, Apont. de potest. Prorog. tit. 8. de res. feud. §. 4. num. 6. 13. & 15. Patif. conf. 13. numer. 74. & sequentibus, & conf. 14. numer. 39. libr. 1. Ruin. confil. 213. nu. 3. & 10. lib. 1. Capyc. decif. 144. num. 17. Giovagnon. confil. 43. numer. 7. libr. 2. Molphel. ad consuetud. in addit. part. 3. quest. 1. numer. 23. & f. tom. 2. Capyc. decif. 85. numer. 2.

Praesumptiones autem sinceritatis, & bonae fidei deducebantur ex optima vita, & timorata conscientia Ducis, quod ponderabatur per Apont. ubi supra, num. 15. ex publicitate actus, ex parvitate materiae, & ex rationabili modo conservandi in illis regionibus memoriam familiae, unde propterea inferebatur cessare illam fraudem consilii dolum redolentem, quam sciebant per actore omnino requiri inculcabant.

19 Irrelevantes tamen, parumque fundata iudicata sunt hec limitationes, per neminem feudatarium in hac specie adhuc tradita, & merito; fraus enim in hac materia ad plures casus, sive effectus considerari solet. Unus est circa substantiam ipsius actus, an scilicet sit verè talis, qualem feudatarius facere auster, vel diversè, sub diverso simulato nomine in fraudem confectus, quia nempe feudatarius volens, pretio mediante, feudum, vel ejus partem contra legis prohibitionem vendere, seu aliis alienare, id sub velato nomine subinfundationis agat, & tunc quia dicitur fraus criminosa, importans delictum positivum, ex quo resultat, nedum infectio actus ab initio, sed feudatarii punitio, ideo illa in dubio non praesumitur, & de facili, si qua adest mala suspicio, contrariis bonis praesumptionibus tollitur, & in his terminis loquitur Rosental. cap. 9. conclus. 44. n. 3. in quo se fundat Altograd. d. conf. 5. nu. 38.

Alter casus est circa praedictum ex subinfundatione, vel refutatione resultans creditoribus, ad effectum, an intret vel ne titulus, De his quoque in fraud. cred. & sic ubi actus contineret commentum, ideoque redoleret etiam delictum, atque isto etiam casu, fraudis exclusio admittitur, & in his terminis loquitur Freccia de subfend. lib. 3. differ. 25.

Tertius est casus circa leve praedictum resultans domino ex refutatione facta per feudatarium morti proximum quoad relevium, & in his terminis loquitur Aponte de potest. Prorog. tit. 8. de res. feud. §. 4. ubi nu. 15. & 16. respondendo ad glossam, dicit eam procedere ob gravitatem praedicti, ideoque non applicari ad suum casum, in quo leve praedictum modicae partis fructum non de facili dictam praesumptionem admittit; unde potius haec auctoritas retorquetur, quia fundatur in levitate materiae.

Quartus est demum casus noster individuus, ubi scilicet agitur de subinfundatione, per quam feudi integra devolutio domino impediatur, & nullus ex allegatis percutit istos terminos, neque firmare audeat hoc assumptum, ut sola bona praesumptio facientis, apta sit facere hujusmodi actum validum, & duraturum; cum enim non agatur de fraude ad effectum nullitatis expressae, sed tota vis consistat in praedictio, non dicitur haec fraus consilii, & mali animi, sed fraus re ipsa, in qua non attenditur animus, vel qualitas facientis, sed ipsum factum praedictiale, ut ad iteram probant text. in l. si quis cum aliter 36. ff. de verb. obligat. & l. omnes 17. §. Lucius T. ff. de in fraud. credit. & utrobique glo. ubi concordantes; nil enim interest ter-

til patientis praedictum, an faciens in bono, vel malo animo fuerit, & an rectam, vel malam conscientiam habuerit; si actus utcumque gestus, ei causam damnum, & praedictum, cum observat Bargal. de dolo, lib. 6. reg. 28. n. 1. & seq. ubi ceteri.

Suspiciata enim fraus, causa fuit, ut induceretur legis dispositio, quae propterea, cessante suspicione non cessat, Tiraquell. cess. caus. part. 1. num. 177. & limit. 19. numer. 1. ut habemus in materia testamentorum, in quibus ob fraudum, & falsitatem suspensionem, lex induxit tantas solemnitates, quarum necessitas non cessat ob integritatem, & bonos mores eorum, ad quorum commodum cedunt, cum similibus; & sic qualitas deperat successione, tanquam regulariter, & a communiter accidentibus de fraude suspecta, causa est, ut privetur quis ea facultate, quae alias competeret; ut exemplificari potest in Clerico, qui vivens liberam habet dispositionem de bonis ex fructibus beneficiorum ecclesiasticorum quaesitis, & tamen infirmus beneficiorum ecclesiasticorum quamvis esset vir integerrimus, à quo fraudis suspicio omnino abstat, ita pariter resignationes factae de tempore infirmitatis, vel senectutis, ita non superint. 26. dies, dicuntur infectae ex regula de viginti iudicata, ex fraudis suspicione, quae cessante non per hoc cessat regula, locum habens etiam in Episcopis, & Cardinalibus, cum similibus.

Et in specialibus terminis feudorum, non solum ne debet, quinimo ne potest Rex in Regno Neapolitano, ubi feuda sunt emptia, & hereditaria, denegare assensum feudatariis super venditione feudorum, quae propterea quodammodo dicuntur esse in commercio, sed si feudatarius careat successore, licite assensus denegatur, vel concessus, dum habebat successorem, obistum postea deficientem non relevat, nisi certis casibus, ut infra, quia tunc censetur alienatio facta in fraudem imminenti devolutionis, & tamen, si fraudem cessare constet, non per hoc assensus conceditur.

Mirificè idem comprobatur eadem glof. Magistralis in d. §. sed etiam res, dum exemplificando fraudem, tria ponit exempla, primum de casto nato, secundum de senese filii desperato, & tertium de illo qui eo animo facit ut fraudet, ergo fraus animi, & consilii est diversa à quibus casibus praecedentibus, in quibus, ut dictum est, non attenditur animus, sed spectatur effectus, qui esse videtur, ut feudatarius morti proximus disponat de re, quae non est sua, sed domini, ac dispositionis effectum verè conferat in tempus inhabile.

Et conferunt quae in iure habentur de usufructuario non percipiente immaturos fructus in praedictum proprietarii, de conductore non erodente fructus probabiliter spectare debentes ad locatorem, cum similibus, in quibus non animus, sed effectus, & praedictum attenduntur, ideoque non fraus consilii, sed fraus re ipsa spectatur, aliàs facta esset principalis conclusio, quia semper ista feuda dignitate retinentur per Principes, & Magnates, qui probi, & integerrimi praesumuntur, & esse solent, ac etiam, quia ubi intercedit fraus consilii, frustratorium est attendere qualitates aetatis, & carentia successoris, cum subinfundatio fraudolenta, semper sit invalida, & penaliter ab initio, etiam per juvenem, & filios habentem facta sit.

21 Quod verò ad aliam limitationem per actore traditam, ut scilicet conclusio non procedat, accedente facultate specialiter tradita pro hominem, quae largitis, & benignius interpretanda est quam illa legis, quia illi dat de suo, ista verò de alieno, allegabatur ad ejus comprobationem auctoritas Iternia in c. 1. Qui successores teneantur, il primo ex n. 6. ubi ponendo casum de feudatario, non habente filios concedente ex facultate domini feudum alteri filios habenti, dicit feudum non appetiri per mortem concedentis, sed durare penes secundum recipientem, atque ad idem adducebantur Frecc. de subfend. lib. 1. de origin. Baron. numer. 52. Liparull. ad Itern. in capit. Imperiale, numer. 4. verbo haerediti, Apont. confil. 2. numer. 17. & sequentibus, lib. 1. Maurus jun. in addit. ad Maur. (sen. allegat. 18. Rovit. pragmat. 4. de feud. num. 29. addito etiam vulgari axiomate, concessionem hominis debere aliquid plus operari ultra Juris dispositionem, ne inanitas, & vacua remaneat.

Facilis autem visa fuit hujus objecti solutio, tum ex regula, Principis concessionem intelligendam esse, prout Jus disponit, & dicitur, ut in terminis, ex Iternia, & aliis, Freccia lib. 1. de origin. Baron. numer. 46. & 47. Aponte de potest. Prorog. tit. 8. de res. §. 5. numer. 16. unde actus habens licentiam

expressam subinfundandi non potest concedere inimico, vel inequali, vel sub diversis conditionibus; Frecc. ibidem. num. 49. Camerar. in cap. Imperiale, cart. 5. in magnis, lit. Galatis, cap. 19. in parvis, ista neque in tempore, & statu inhabili; tum ex alia regula, ad quod a qualibet concessio semper excepta tenetur fraus, ad text. in l. si pater 12. ff. que in fraud. creditorum.

Ac demum ex altera regula, quamlibet concessionem intelligendam esse rebus in eodem statu permanentibus; quibus cessantibus, dicitur desicere animus, ut ultra generalia plenè congesta per Adden. ad decif. 523. part. 4. recent. tom. 3. n. 5. in specie facultatis disponens de feudo Aponte de res. feud. d. §. 5. num. 15. & 24. ubi nu. 19. ita declarat dicta per cum confil. 2. numer. 17. libr. 1. ex ea optima, & viva ratione, quod dominus censetur de se facit facultatem feudatario disponendi de suo, non de alieno, unde disponendo, dum est morti proximus, vel aliàs devolutio imminet, disponere de alieno, non de suo, atque tali casu cessat illa ratio incertitudinis, quae unice tollit domini praedictum, quia scilicet incertum est, an subinfundatus, potius quam subinfundans debeat prius desicere, ideoque conferunt omnia similia, quae supra de Clerico disponente de bonis, vel resignante beneficium, seu de usufructuario, & conductore dicta sunt.

Ad auctoritates autem Iternia, Freccia, Liparull, Roviti, & aliorum, respondebam, illas procedere in licentia, seu facultate speciali, nominatim concessa individuali persona, cujus facultatem non erit domino concedenti, qui sciens, & volens, videtur super impedimento dispensare, ut in puncto, Iternia doctrinam ista explicat Apont. d. §. 5. num. 15. & Fab. de Ann. confil. 129. n. 85. & 86. sive ubi in facultate habetur mentio ejus, cui est concedendum, quia tunc concedens videtur non minus contemplare personam subinfundantis, quam subinfundati, qui propterea facti directè à domino recipere videtur, Montan. ad l. Imperialem, §. firmiter. num. 55. & 56.

23 Ultra quod, opinionem Liparull, Camerar. & Roviti firmiter, assensum concessum feudatario successorem habenti, adhuc suffragari ista cessante, quod in personam expressam sit alienatio, neque utam videtur insinuabam; cum adolevens magna Neapolitana Tribunalia practicando, saepius à veris factis audierim, contrariam Freccia opinionem esse receptam.

Et ad axioma, quod concessio hominis debet aliquid operari ultra legis concessionem, dicebam, facultatem in Investitura contentam satis esse operativam, tum quia attentio eo tempore, non erat ita certum inter feudatas, an iura concedenda facultatem subinfundandi, essent, vel ne antiquata per novam legem Federici in c. Imperialem, ideoque hanc dubitationem sustulit, unde cessat argumentum superfluitatis, quod tamen leve per quamcumque modicam operationem, etiam majoris declarationis tollitur, Orthobon. decif. 244. n. 21. cum seqq.

24 Tum clarius, quia stante praecedenti expressa prohibitione alienationis, vel divisionis in eadem investitura contenta, nisi aliud fuisset expressum, sublata etiam fuisset facultas subinfundandi alias de jure competens, Bald. in c. 1. §. Praerog. n. 3. de Capis. Cotradi, quem sequuntur communiter feudistae cumulat per Schrader. p. 8. c. 2. n. 20. & 21. Giurb. de success. feud. §. 1. glof. 5. n. 31.

Unde ob magis amplam alienandi prohibitionem contentam in Constitutione incipien. Constitutionem Divo memoriae, prodit in utriusque Siellae Regni receptissima conclusio prohibita facultatis subinfundandi ut supra, igitur satis dicta concessio operatur, removendo obstaculum, ideoque verba Investiturae non sunt inductiva novae facultatis, neque ampliatae legalis dispositionis, sed tantum modificativa praecedentis generalis prohibitionis, seu per remotionem obtaeculi reductiva ad Juris dispositionem, quod bene in concordantia cum Sede Apostolica de anno 1624. declaratum fuit, dum circa subinfundationes conventum est servari debere Juris dispositionem.

Dicebatur etiam per actore, principale conclusionem deductam ex glof. in §. sed & res, procedere respectu agnati, non autem domini, ex auctoritate Jacobini, Alvaroti, & aliorum, quos post haec disputata congestit de Marin. ( tunc ferè author motivi ) in addit. ad Reverter. d. decif. 522. numer. 3. sed omnino irrelevantis motivum iudicatum fuit, tum quia text. in cap. unico de alien. feud. in extraordinariis loquitur expressè de domino, tum quia feudistae indefinitè statuunt conclusionem, & clarius, quia in omnibus eadem ratio militat, quinimò fortiori in domi-

7 no ex supra ponderatis de Clerico, usufructuario, conductore, & similibus; neque videtur, quomodo respectu agnatorum sit practicable casus glossae, quae regulam suppositis agnatis, supponitur successori, qui ex legitima natura feudorum, ut sint pacti, & providentiae, veniant tempore suo, ita ut nihil referat, an sit descendens, vel transverfalis; ergo non est casus glossae, in quo supponitur carentia successoris.

Dicebant etiam Camerates, quod ubi senex de filiis desperatus subinfundat juvenem filios habentem, vel ad eorum procreationem aptum, non dicitur subinfundare personam aequalis conditionis, ideoque deficit ultimum requisitum, ob cujus defectum nullitas actus remanet inevitabilis, cum esset illa incertitudo, quae unice salvat domini praedictum, unde semper firmum remanet, quod ita feudatarius non dat de suo, sed de eo, quod est domini, conferendo in effectum suam largitionem in tempus inhabile, quo ipse non est amplius dominus, & possessor; & in domini supplantationem.

Quod tamen ego, ad veritatem reflectendo, dicebam in congressibus Advocatorum desuper habitis, esse intelligendum cum distinctione; ut enim agitur de Castris, membris, vel bonis, quae de sui natura non solent semper subinfundari, sed per ipsum feudatarium cum feudi corpore retineti, prout sunt Castra, de quibus agitur; & bene procedunt supra dicta, quia revera esse supplantare dominum, ac facere fraudem imminenti devolutioni; aut verò agitur de illis Castris, vel bonis, quae de sui natura solent semper remanere penes subvasallos, ita ut, quando per unius mortem vacant, alteri concedi solent, & tunc verè, & propriè sunt ex cadente, quae non dicuntur tangere corpus feudi, sed dicuntur fructus maturantes, quos feudatarius senex, & de successione desperatus non debet esse prohibitus percipere, eo modo quo si vacaret beneficium de Jure patronatus feudi, non prohiberetur Feudatarius senex, & successore carens facere praesentationem, cum similibus, quia est fructus maturans ejus tempore, prohibito autem procedit in perceptione illius fructus, qui suo tempore non maturat, vel in corrosione, & diminutione rei in substantia, prout est in primo casu, in quo permittitur de tempore habili subinfundatio, ob incertitudinem, quae cessare facit praedictum certum.

Ponderabatur demum ingeniosè per parte actoris illa pars Investiturae, in qua etiam Cardinales, & Episcopi ad Ducatus successorem habitantur; quasi quod Papa consideraverit casum Feudatarii de successore desperati, qualis est Episcopus in Sacris Ordinibus praeposundus, & tamen subinfundandi facultatem istis concessit; sed omnino levis, ac irrelevantes ponderatio credita fuit, quia non concludit de necessitate Episcopum, vel Cardinalem esse successore carentem, cum filios; & descendentes ante Episcopatum, vel Clericatum ex praedicta Uxore legitime susceptos habere poterit, ut visum fuit de Cardinali Sfondrato, qui fuit pater Gregorii XIV. ac nostris temporibus de Cardinalibus, Trivultio, de Albizis, Balneo, & aliis; sive quod alios agnatos transverfales, & de lineis non admittis haberet legitimos successores, unde propterea casus iste consideratur, videtur suis terminis retentis, ac juxta puris dispositionem.

Et ex his per Cameram, causa non semel proposita, & mature discussa, contra subinfundationem iudicatum fuit, meo iudicio satis iuste, & fundatè.

S U M M A R I U M.

- 1 De statu cause.
- 2 Quod etiam senex possit generare filios.
- 3 De distinctione inter fraudem consilii, & fraudem praedictii.
- 4 De alia distinctione inter conditionem suspensivam, & resolutivam, seu modalem.
- 5 Actus factus cum uno praesupposito, corrumpit eo praesupposito cessante.
- 6 Qualis impotentia habendi successorem attendatur.
- 7 Quod in hac materia subinfundationis procedi debeat cum distinctione casuum.
- 8 Qualis sit subinfundatio propria, de qua agunt antiqui feudistae.
- 9 Quod non sit in usu ista species subinfundationis.
- 10 De alia specie subfendat. ubi subinfundans aliquid retinet.
- 11 Et pariter ista species non est in usu sine assensu.



- 12. De subfeudis impropriis, que sapiant potius allodialitatem in ex cadentis.
- 13. Quod ista subfeuda dicantur esse in fructu.
- 14. Et quod in hac specie non attendatur fraus presumpta, de qua nu. 3.
- 15. Et non intrat Bulla Pii V. de non infundando.
- 16. Qualis sit proprie casus subfeudationis, in qua intrat ratio fraudis in eo qui deservit esse successor.
- 17. Et quod in eo intrat Bulla Pii V.
- 18. De errore moderorum circa collectiones doctrinarum.
- 19. De questione an devolutio feudo devolvatur subfeuda.
- 20. De clausula sine prejudicio, vel alia salvo jure, apposta in assensu qua operetur.
- 21. An leges feudales attendi debeant, & quomodo in Statu Ecclesiastico, in illius feudis.
- 22. De fraude presumpta in investituris abusivis de feudo adhuc pleno.
- 23. De infundatione locorum habentium privilegium, ut non possint infundari.

ADNOT. AD DISC. I.

**R**emanet ista causa in eodem statu, neque ulteriori prosecutionem habuit, quoniam enim initio Pontificatus Clementis Noni, successoris Alexandri Septimi, sub quo ista disputata fuit, actor, vel ipse defuncto, ejus filii obtinuerunt iterum auditu, non vaneque dispositionem prepararent, communicando juxta stylium, anticipatè ministris Cameralibus, informationes facti, & juris, ut pro eorundem Cameralibus commoditate responsoes parari possent, cum in hoc presertim consistat privilegium sibi in litibus, quas habet cum privatis; attamen incertum est ex quo motivo ab ulteriori prosecutione desisterint.

In his itaque novis informationibus, in substantia contentebantur eadem fundamenta, que in prioribus disputationibus deducta fuerunt; atque Scribentes se restringendo ad solum punctum (in quo verò novis causæ consistebat) invalida subfeudationis, ob fraudem à lege presumptam ex iminentia devolutionis, in duobus potissimè insisterent; Primo nempe in exclusione præsumptionis fraudis, tam ratione notorie integritatis, ac religionis subfeudantis, quam etiam ratione justæ causæ, que illum impulsit ad id agendum, ut adeo grata memoria hujus familie apud illos subditos conservaretur.

Et secundo aliqui ingeniosè ponderabant, quod neque dici poterat, ut verificaretur præsuppositum certæ, ac iminentis devolutionis, ob desperatum successorem, dum reassumendo collecta per Narbonem in tractu de statu ann. sexagesimo. q. 4. & Rot. apud Merlin. dec. 229. in fin. repetit. dec. 150. p. 7. recem. probare conabantur, quod etiam senes septuagenarii, & ultra, filios pro creare possent, cum in hoc differant viri à mulieribus, deducendo non solum exempla antiqua à Scripторibus relata, sed etiam aliqua moderna, & de presentibus in ipsam Urbem, quod septuagenarii habentes uxorem etiam senem, ista defuncta, aliam juvenem duxerunt, & filios procreant, ut presertim sequitur in eodem Duce Jovii Hieronymo Matthæo, qui hodiernum Ducem procreavit.

Occasione autem congressus habiti per Camerales pro hujus novæ disputationis præparatione, de premisis dicendum, quatenus pertinet ad primum fundamentum bonæ fidei pro exclusione presumptæ fraudis; demò reflectendo ad jam deducta in disputatione, in sensu solius veritatis credebam, quod ea subterfugeret, quod scilicet ista non sit fraus consilii, seu criminosa desideranda in singulis casibus, & in personis individuis facientibus actum, sed sit illa fraus, que dicitur prejudicii, seu respiciat generaliter per legem inducta, ex sola ratione status, in quo reperitur ille, qui actum gerit, juxta jam adducta exempla, quodque verè, & proprie actus iteratio non proveniat directè à fraude, juxta ea, que habemus in materia litigiosa, vel in materia eccl' de hier. que in frandem crediturum &c. cum similibus, in quibus rectè procedit, ut sola juris præsumptio tolli possit per contrariam probationem, etiam præsumptam, & elicita ex fortioribus præsumptionibus, sed quod potius proveniat à defectu potestatis, quam lex isto casu neget, vel auferat; quasi quod illa subfeudandi licentia, quam lex, vel homo feudatario concedit, istam sub fe habeat implicitam conditionem à lege subintelligendam, dummodo scilicet actus fiat tempore habili, non autem quando sit verisimiliter de prole desperatus, ac propterea imminet devolutio, adeoq; dicatur potius defe-

ctus conditionis suspensivæ, impediens ne actus fiat, & ne jus subfeudato queratur, non autem, ut si conditio resolutiva, que irritet actum jam perfectum, tamquam per speciem privationis juris quaeritur, juxta distinctionem inter conditionem, per quam mediatur jus querendum, & modum, per quem tollitur jus questum, de qua plene sub tit. de fideicommiss. dist. 154. & dist. 73. de testam. atque dist. 70. de benef.

Quo enim casu conditionis, non requiritur fraus, vel malitia, sed sufficit ipsum factum, ex de actis locis proximè citatis, ideoque in hoc proposito istud vocabulum fraudis adhibetur per quemdam improprium modum loquendi, ad explicandam rationem, que generaliter impulit legem, ad adjiciendam, vel ad subintelligendam istam conditionem, per quam auferatur potestas, sive quod illa habeatur pro non attributa.

Quo verò ad aliud fundamentum metaphysicè possibilitatis procreandi filios, ponderabam responderi posse, quod motivum forsan aliquam haberet subsistentiam, quando imminente devolutionis, atque desperato successore, deducerentur ex sola præsumptione juris, ratione gravis ætatis; sedis autem in hac facti specie, quod idem feudatarius, juxta facti seriem in discursu recensitam, jam agnoverat imminente devolutionem, atque per concordiam fei exautoraverat, ac propterea verbatim in terminis fortioribus ex circumstantiis facti.

Veniens, reflectendo ad veritatem, responso non satisfaciebat, quoniam dicta declaratio facta fuit ob præsuppositum, quod tunc feudatarius habebat, rebus in eo statu permanentibus, & quatenus casus alius non preberet, ac propterea si de facto postmodum aliam juvenem secundam uxorem ducendo, prolem legitimam suscepisset, juxta superius recensitum casum, quem nostra atque in Urbe praxis docuit, utique devolutionis locus non esset, dictaque concordia, seu declaratio evanesceret, tamquam ex cessante, seu ex falso præsupposito; ad instar eorum, que in fortioribus terminis habentur sub titulo de donation. dist. 20. ad materiam text. in l. in quædam. Cod. de revocand. donat. ut scilicet quamvis dicti textus dispositio super resolutione donationis ob supervenientiam filiorum cesset, quando dispositio dictæ legis fuerit renunciatum, ejusque mentio habita sit, adhuc tamen locum habeat ob immutatum rem statum, ac cessatum præsuppositum, quod donator tunc in animo habebat, quia nempe haberet uxorem sterilem, ac propterea ultimum haberet motivum de opinandi desperati de filiorum procreatione, renunciando dispositioni dicti textus, tamquam cum eo effectum non sortituri, adeo ut dicti valeat, quod fuerit renunciatio eorum que haberi non possunt. Et per consequens non obstat, si casus præbeat, ut mutata uxore, inasperatum filiorum procreatio sequeretur, ex ibi deductis.

Solidior autem videbatur responso, quod ad hunc effectum per leges feudales, vel per feudatarum traditiones, de quibus in discursu, non delideratur physica negatio potestatis, adeoq; excludat contrariam possibilitatem, sed sufficiat desperatio verisimilis, sive impotentia moralis, dum tam in ista materia feudali, ad hunc effectum, quam etiam in materia fideicommissaria, & in aliis, ex communibus, ac receptis omnium sensu, de legitima, & naturali prole desperati reputantur religiosi solemniter professi, ac etiam clerici seculares constituti in sacris, quamvis aliàs ad id essent naturaliter habiles, & tamen etiam in istis verificatur physica possibilitas, ob dispensationem Apostolicam, cum similibus; potissimè ubi jam verisimile per eventum comprobatum fuit esse verum.

Præterea ad clarit' elucidanda æquivoce in hac materia subfeudationis, tam de jure communi feudorum, quam in hoc Principatu ex Bulla S. Pii V. de non infundando, cum quibus tam in primis disputationibus, quam etiam in his præparationibus procedi videbatur per Scribentes hinc inde, ex consueto errore (qui est æquivoconum secunda mater) procedendi cum generalitatibus, atque majorum traditiones accipiendi in sola litera in quibus quævis casibus, non reflectendo ad illorum distinctionem, advertentiam, quod in hac materia subfeudationis reflectendum est ad plures illarum species, insinuatæ supra, dist. 7. ita plures casus constituendo.

Præmissis enim casus est in illa parte, & omnimoda subfeudatione, que ad instar subemphyteuticæ, vel sublocationis nostrorum temporum, antiquis temporibus fiebat de toto feudo, per quamdam cessionem sui juris alteri, illum subrogando, vel ponendo in locum suum, nihil pro-

pro se reservato, adeoq; subfeudans exiret omnino de scena; Et tunc proprie intrat questio, de qua in discursu, an scilicet leges feudales, que id permittunt, sint authenticæ necne, ac etiam alia questio, in eadem leges feudales, admitendo illas esse authenticas, sint antiquata, vel correctæ per legem Federici in cap. Imperialium, &c. Illoque casu opinio, que concedit feudatario istam facultatem subfeudandi, desiderat concurrere trium requisitorum, illius præsertim, ut fiat persona æqualis conditionis, & cum eisdem legibus, & conditionibus ad illum effectum, ne fiat potentiori, ob difficultates obtinendi servitium, & fidelitatem, & ob alias difficultates in casu devolutionis; & è converso, ne fiat pauperiori ob eandem difficultatem obtinendi servitium reale, vel personale, sive etiam ob deteriorationem, que in feudo contingere solet; & sic desideratur æqualitas, ut præservetur omne domini præjudicium, adeoq; nil sui interit mutari personam feudatarii; ut etiam desideratur, ut fiat de toto feudo, nihilo subfeudandi reservato, ne inde sequatur feudi divisio; acetiam desideratur, ut gratis fiat, ne aliàs ita sequatur prohibitio venditio, vel alia prohibita alienatio, sub hoc subfeudationis pallio occultata.

Verum evidens videtur aliquorum æquivoconum, applicandi modernis subfeudationis speciebus, juxta præsentis controversiæ casum, ea que per antiqua jura feudalia, vel per antiquos feudales, in hac specie subfeudi dicuntur, cum sint termini diversissimi; siquidem in propriis, & rebus feudis, Civitatibus, Oppidorum, & Castrosum cum justificatione, & imperio, & que proprie constituunt Barones, iste usus omnimode subfeudationis amplius non datur, atque fabulosum esset assumptum, ut sine consensu domini infundantur, qui juxta hodiernum rerum statum, frequentius est præsupponendus Princeps supremus, licet non sit id gerere, quodque dominus signatur, vel invitatus, teneatur alium feudatarium, seu vassallum recipere; & per consequens ideales remanent quæstiones prædictæ à nostris majoribus disputatæ.

Alter casus est illius subfeudationis, que fiat quidem de integro feudo, omnibusque juribus, ponendo alterum in suum locum, aliquo tamen jure sibi reservato, ac propterea ille, qui facit subfeudationem, adhuc remanet domini directi vassallus, & feudatarius, ipseque efficitur dominus subalternus subfeudanti, qui ipsum investit, non autem mediatum agnoscat in dominum, juxta distinctionem, de qua d. dist. 7. & dist. 59.

Secundum in feudis relictis, & propriis, ut supra, fabulæ speciem redoleat dari in praxi istum casum, ut sine consensu domini id agere liceat, dum in hoc sæculo currenti, ac etiam in proximo decurso, in nostra Italia, aliqua desuper vidimus exempla in feudis Senarum, & Plumbini, de quibus d. dist. 59. & in aliis ibi proximis. & dist. 54. non solum cum expresse assensu, sed etiam (saltem respectu Plumbini) cum obligatione feudatarii subfeudandi personam ab ipso infundente nominandam; atque in hujusmodi subfeudationibus praxis docuit, nullum ex tribus requisitis prædictis servatum fuisse; siquidem (exemplificando in eodem recentiori feudo Plumbini) non fuit quidem servatum primum requisitum subfeudandi integrum feudum, nihil pro se retinendo; dum Rex feudatarius, qui subfeudationem fecit, pro se retinuit altum dominium subalternum, sive illam majorem suprenitatem, que vulgò dicitur *Sovranità*, nec non sui devolutionis, atque jus muniendi arces, sive ut vulgò dicitur, *jus Præsidiorum*. Minusque alterum, ut gratis fieret, cum potius processum fuerit per viam concessionis feudis emptitii, solvendo Imperatori pro nominatione duodecim. centena millia florenorum Rheni sub nomine laudemii, & Regi pro subfeudatione (sæta circiter centum mille.

Et demum neque tertium, ut fieret persona æqualis conditionis, cum feudatarius esset potentissimus Rex, & Monarcha, subfeudatus autem simplex Baro; quinimò potius abhorrebat subfeudatio persone æqualis potentia, vel etiam minoris, que sit de sphaera Principum, cum similibus exemplis, que dari possent: ergo palpatur manibus simplicitas modernorum, quos elaboratè colligere professus est in ista causa Altograd. cons. lib. 2. adhibendo nostris temporibus in feudis relictis, & propriis Civitatum, Oppidorum, & Castrosum cum imperio, justificatione, & vassallis, ea que per antiquos feudales in hac materia subfeudationis traduntur.

Tertius est casus illorum subfeudorum, que concedi solent etiam per feudatarios subditos, & merè subordina-

tos, de aliquibus prædictis, vel petis terræ subfeudari, & concedi solitis, & que veniunt sub nomine excadentiarum, atque in Regno Neapolitano nuncupantur feuda plana, & de tabula, juxta diversas species distinctas d. dist. 7. Et pariter fabulosum videtur hodie hujusmodi subfeudis applicatæ antiquas leges, vel consuetudines feudales, vel antiquorum feudatarum traditiones, cum istis adaptaretur terminus subfeudi, per quemdam improprium usum loquendi, sed revera nihil habent feudalitatis, nisi aliquam imaginem remotam; neque in eis verificantur dicta tria requisita, dum non est subfeudatio de toto feudo, neque fit persona æqualis conditionis, quoniam frequentius fieri solet personis privatis, & propriis subditis, ac etiam pretio mediante sub nomine laudemii, vel intraturæ, in quo consistere videtur totum, vel majus domini emolumentum, juxta ea, que habentur in materia emphyteutica sub tit. de emphy. in Abbatis Farsen. & Nonanulan. & in Ecclesiis Status Urbini, ac aliis comprehensis sub Bonifaciana, cum similibus ibi enunciatis.

Illo autem casu, hujusmodi jus subfeudandi, dicitur esse in fructu tamquam per speciem juris præstantiæ; vel nominandi ad beneficia de jure patronatus, quando casus vacationis contingat; & per consequens in hac specie subfeudi, intrare non videtur ea, que habentur circa dictam fraudis præsumptionem, resultantem ab imminenda devolutionis, quoties jure feudatarii adhuc durante, citra fraudem, & affectationem supplantandi dominum, sequatur casus devolutionis hujusmodi excadentiarum, quoniam sicuti feudatarius fenex, vel aliàs de successione desperatus, non prohibetur percipere omnes fructus, etiam insolitos, quos, luo jure durante, natura, vel fortuna producat, ac etiam non prohibetur facere presentationes, vel nominationes in beneficiis de jure patronatus, quod sit annexum feudo, ita non prohibetur facere concessiones hujusmodi subfeudorum, & excadentiarum, quando casus vacationis sequatur, dum punctus est in fraude, vel in affectatione supplantandi dominum, atque ad hunc effectum advertebam, quod in hac materia intrarent ea, que dicebantur per Scribentes in contrarium super qualitate fraudis consilii.

Ad instar eorum, que habentur sub titulo de Regalibus dist. 78. cum sequ. in Appaltatoribus gabbellarum, & Dohanatum, super iis, que geruntur circa finem Appallus, & sub tit. de locat. & conduct. dist. 24. super locationibus, que sunt per heredem gravatum, & fideicommissarium, imminente restitutione fideicommissi, cum similibus; sed pariter omnia ea, que hanc subfeudi speciem percutiunt, penitus extranea sunt à casu præsentis quæstionis; istoque casu neque intrat prohibitiōe Pianæ Constitutionis, quia revera non est infundare, juxta ponderationes, de quibus hoc eod. tit. dist. 61. cum revera non tangatur substantia feodi, ut etiam infra dist. 128. & in aliis.

Quartus demum est proprius, ac præcisus nostræ quæstionis casus, ubi scilicet agitur de feudo regali vere dignitatis redolente supremum principatum, cum regalibus etiam majoribus, ut exemplificando in nostra Italia, juxta Regnum Neapolitanum, & Ducatus Mediolani, Mutinæ, & Regii, Parmæ, & Placentiæ, ac Senarum, & erant etiam iste Ducatus Urbini, & alter Ferrariæ, ac propterea pro feudi, vel principatus dignitate congruat, ut ipse feudatarius possit statueret Barones, & milites, vel nobiles primi ordinis magnitatem in suo principatu; & ista est licita subfeudatio, etiam sine concessione expressa, tamquam conaturalis feudo, quod proprie dicitur, vel divisionem pati non dicitur, ut ob omnimodam subjectionem, & dependentiam; sed pariter in hac specie non verificantur dicta tria requisita; non quidem primum de toto feudo cum eisdem legibus, cum fiat de parte, vel membro non notabili; ideoque fieri non possit de Civitatibus, vel fortalitiis, ac etiam fiat sub diversa natura; minusque secundum, ut fiat gratis, cum communis praxis doceat contrarium, cum sint concessionis venales; neque tertium, dum non sunt æqualibus, sed subditis, & inferioribus; & per consequens omnino extranea sunt ea, que per antiquos feudales dicuntur, torumque restringitur ad prædictam rationem supplantationis domini devolutione imminente, ita sibi constituendo Barones, & feudatarios in tempore inhabili, & pro quando non erit amplius dominus, nec feudatarius, juxta rationes, de quibus d. dist. 78. & sequ. de Regali.

Atque hinc sequitur, ut rectè congruente ea, que in discursu habentur circa obstantiam Pianæ Constitutionis, dum in effectu esset constituere feudatarios de novo in Statu Ec-